

561 Dis. XV. Part. III. an aia rat: sit spiritalis &c. 562

Quinta.

Quinta: Potentia, quæ dependet in suo operari ab obiecto corporis, illa est corporea, & mortalis: sed intellectus dependet in suo operari à Phantasmatibus, quæ sunt corporea, ergo intellectus erit corporicus: maior patet: minor experientia constat.

Sexta.

Sexta: Immortale non perficitur à re corruptibili; sed anima rationalis perficitur à rebus corruptibilibus, nempe ab intelligibilibus materialibus, ergo &c.

Septima.

Septima: Nulla forma immortalis, & immaterialis est principium actionis corporeæ, vt putationis, & sensationis: sed anima rationalis in homine est principium augmenti, & sensationis in homine, ergo non est immaterialis.

Ottava.

Ottava: Definitio est inseparabilis à definito: sed esse actum corporis est definitio animæ, vt anima est, ergo corrupto corpore anima non erit amplius anima.

Nona.

Nona: Simile non appetit, nisi sibi simile: sed corpus mortale appetit animam rationalem, ergo signum est, quod anima rationalis sit corruptibilis.

Varia alia argumenta possent afferri, quatenus proponuntur communiter, & solvantur ab authoribus, & præsertim à D. Thoma, qui in questionibus disputatis quasi de anima plusquam viginti argumenta proponit, & solvit: Multa quoque habet Lagalla in ultima parte voluminis de immortalitate animalium, sed ita diffuso stylo, vt nimis tædiosum sit hic ea referre; adducit enim varia ex Pomponatio, qui mortalitatem animæ rationalis in via peripatetica defendit, sed contra Pomponiatum egere, quotquot ab eius temporibus de anima scripsere, vt pote Contarenus, Augustinus Nyphus, plurisque alii; quare in hac materia illi superfedimus: faciunt quoque pro mortalitate animæ rationalis ea argumenta, quæ eius indiuisibilitatem impugnant, sed ea post resolutionem adducemus, & solvemus ostendendo, quod licet anima rationalis sit indiuisibilis; attamen informet corpus indiuisibile.

C LY P E V S T E R T I V S.

Respondetur rationibus primi Clypei.

*Ratio io.
Respondeatur
rationibus
primi Clypei.
Ad quin.*

*A*d primam respondebimus negando intellectum facere vniuersalia, & hoc secundum doctrinam à nobis traditam de vniuersalibus in Logica: sed esto concederemus intellectum facere vniuersalia, proinde tamen anima non deberet dici spiritalis; nam & Phantasia sibi representat aliquid tantum vniuersale, imò ut quid infinitum v. g. si Phantasia imaginetur linéam infinitam: demum esto fore spiritalis, non tamen sequeretur fore immortalem, & ad argumentum illud: *Quod non habet in se principium sua corruptionis, est immortale.* concedo maiorem: sed spiritalis non habet huiusmodi principium sua corruptionis, concedo de principio Physico, nego de Metaphysico: principium corruptionis Physicæ est materia, aut compositio ex quatuor elementis, qualem non habent spiritalia: at verò principium corruptionis Metaphysicæ prouenit ex eo, quod res aliquando ha-

buerit esse de nouo; idèo enim est habituæ finem per hunc discursum: quod de se habet principium sui esse, debet ex se habere finem: sed anima rationalis, cùm sit creatura, postulat ex natura sua habere principium, ergo expostulat finem.

Respondeo ad secundam intellectum intellegere substantias separatas secundum quasdam similitudines, quas in se format, quæque similitudines desumptæ ex rebus corporeis; quare modus intelligendi intellectus non est independentis à corpore: deinde esto intellectus fore spiritualis, non tamen sequeretur infallibiliter, quod esset immortalis, vt supra dictum est.

Respondeo ad tertiam potentiam debere proportionari suo obiecto, id est habere sympathiam ad suum obiectum, seu debere proportionari sympathicæ; non est tamen necesse, vt induat omnes conditiones obiecti; nam si hoc esset verum, inferrem pari titulo, quia intellectus cognoscit singularia, quæ sunt corruptibilia, idèo deberet esse corruptibilis: Adde quod vniuersalia secundum communem opinionem non sunt incorruptibilia, nisi Logice, & secundum nostrum concipiendi modum, non verò secundum rei veritatem, & secundum suam existentiam.

Respondeo ad quartam non esse inconveniens admittere, quod potentia organica superior dijudicet de natura obiectorum potentiarum inferiorum: sicut dicitur, quod sensus communis percipiat obiecta, & naturam obiectorum potentiarum sensituarum externarum; nam percipit colorem, & percipit colorem album non esse colorem nigrum: deinde licet esset spiritalis, non tamen immortalis, & ad idem ferre reducitur illud argumentum: Omnis potentia debet esse denudata suo obiecto, sed obiectum intellectus est omne sensibile, & materiale, ergo debet esse denudata omni sensibili, & materiali, ergo est spiritalis; quod enim est denudatum omni materiali, est spiritualiter.

Respondeo illud axiomam absolutè sumptum esse falsum: nam ipsi Medici dicunt, quod si organum potentia olfactiva sit valde siccum sit perceptum melius odores, qui sunt fisci, & organum magis humidum minùs odores perceptum: Vbi vides potentiam non debere suo denudari obiecto, est ergo illud axioma sic intelligendum, quod vt potentia aliqua percipiat de nouo obiectum, non debeat illud idem numero in se habere, nam licet simile iam habeat in se, si tamen aliud diuerso numero adueniat, percipiet illud: v. g. potentia visuæ videns vnum colorem album, si adueniat de nouo aliud album, vtrumque percipiet potentia visuæ: sic esto intellectus ex suppositione, esset potentia materialis, omnia tamen materialia possit percipere, præter seipsum; sed seipsum perciperet per reflexionem tantum.

Respondeo ad quintam: Quod licet hæ potentiæ sensitæ non sint reflexiæ, intellectus vero sit reflexius, dicam tamen ex hoc non inferri intellectum esse alterius ordinis in genere entis, benè tamen in genere potentiarum: at materialitas, & spiritalitas debent attendi in genere entis,